



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLIX. Gregorii Papae I. Ad Monachos In Christi Monte Constitvtos.
De Orosio abate suscipiendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

mabus esse sollicitos. Comperimus autem in insula Orpharia, in qua situm beati Petri apostolorum principis oratorium esse dignoscitur, multos virorum cum mulieribus suis diuersorum patrimoniorum illuc pro necessitate feritatis barbaricæ refugisse: quod importunum iudicauimus, vt dum alia refugiorum loca vicina sint, cur ibidem cum monachis debeant mulieres habitare. Propterea præsenti iussione præcipimus experientiæ tuæ, vt a præsenti tempore nullam illic ulterius mulierem, siue ecclesiastici iuris sit, siue cuiuslibet alterius, habitare commanere ve permittas, sed refugium sibi cum, sicut prædictum est, tot loca vicina sint, vbi maluerint, ipsi prouideant, vt omnis exinde mulierum conuersatio submoueatur: ne, si quæ in nobis est curam gerere desistamus, atque inimici laqueis obuiare, nos exinde, quod absit, si quid aduersi contigerit, culpabiles existamus. Præsentium itaque latori Felici abbatii mille quingentas plumbi libras, de quo in eadem insula egere dignoscitur, dare non differas: quod postmodum, cum totius quantitatis summa noscetur, tuis rationibus imputetur. Ita ergo fac, vt tu ipse prouideas, si in eiusdem insulae fabrica expendi utiliter valent. Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum, etiam pueros in eisdem monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in Romanam urbem transmittat. Hoc & in Palmaria aliisque insulis te per omnia volumus custodire.

Gra. 20. q. 1.

Ext. de rog.
cap. 1.

EPISTOLA XLIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD MONACHOS IN CHRISTI MONTE
CONSTITUTOS.

De Orosio abate suscipiendo.

*Gregorius uniuersis monachis in Christi Monte insula
constitutis.*

PERVENIT ad nos nulla vos monasticæ regulæ præceppta custodire: pro qua re compulsi sumus præsensis præcepti portitorem Orosium abbatem ad vos dirigere, vt omnia acta vestra subtiliter exquirens, quæque ei
recta

recta fuerint visa disponat, & nobis quæ ab eo ordinata
fuerint, renuntiet. Proinde admonemus, vt omnem ei
obedientiam præbeat. Et quidquid disposuerit, velut a
me dispositum cum debita reuerentia custodite.

EPISTOLA L.

GREGORII PAPÆ I.

AD SYMMACHVM DEFENSOREM.

De Orosio abbe in Gorgone insula ordinando.

Gregorius Symmacho defensori.

FILIVS meus Bonifacius diaconus dixit mihi, quod ex-
perientia tua scripsisset, monasterium quondam ab
Albina religiosa femina constructum paratum existere,
vt in eo debeant monachi ordinari. Et quidem laudauis fo-
licitudinem tuam, sed volo vt excepto eo loco, qui iam in
eamdem rem dimissus est, locus alter debeat prouideri: ita
tamen vt pro incertitudine temporis locus super mare re-
quiri debeat, qui aut loci dispositione munitus existat,
aut certe non magno labore muniri valeat, vt illuc mona-
chos transmittamus: quatenus insula ipsa, quæ monaste-
rium nuncusque non habuit, etiam in huius conuersatio-
nis via meliorari debeat. Ad quam rem implendam at-
que prouidendam, Orosium abbatem præsentis præcepti
portitorem direximus, cum quo tua experientia litora
Côrsicæ circumeat: & si cuiuslibet personæ priuatæ locus
tal is inueniri dignus potuerit, dignum parati sumus pre-
cium dare, vt possimus aliquid firme constituere. Cui
præfato Orosio iniunximus, vt in Gorgonem insulam per-
gat, cum quo tua experientia pariter eat, & mala omnia,
quæ illic cognouimus admissa, ita vindicate, vt per vltio-
nem vestram præfata insula etiam in posterum maneat
correcta. Huius insulæ monasteria sæpefatus abbas Oro-
sius instituat, atque ita ad nos remeare festinet. Ita igitur
experientia tua faciat, vt ex vtraque re, id est, vel prouい
dendo in Corsica monasterio, vel corrigendis monachis in
Gorgia, non nostræ, sed voluntati omnipotentis Dei pa-
rere festinet. Præterea volumus vt sacerdotes qui in Cor-
sica commorantur, prohiberi debeat ne cum mulieribus
conuersentur, excepta dumtaxat matre, sorore, vel vxore,

Concil. Tom. 13.

Grat. diff.
81. cap. 24.
Iuo p. 6.c.
80.

Ec